



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

CDVIII. Papst Sixtus erklärt auf Antrag von Bürgern Stendals zinstragende Darlehne der Form von Wiederkaufsverschreibungen für erlaubt, am 10. August 1476.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

CDVIII. Papsi Sixtus erkläret auf Antrag von Bürgern Stendals zinstragende Darlehne in der Form von Wiederkaufsschreibungen für erlaubt, am 10. August 1476.

Sixtus, Episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis Magdeburgensis et Halberstadtensis ac Sancti Nicolai Stendaliensis Halberstadtensis Diocesis Ecclesiarum Decanis, Salutem et Apostolicam benedictionem. Hodie nobis pro parte dilectorum filiorum habitatorum et incolarum Opidi Stendaliensis Halberstadtensis Diocesis exposito, Quod licet a tanto tempore, cuius contrarii memoria non existerat, inter eosdem habitatores et incolas consuetudo inoleuisset et hactenus observata fuisset, quod ipsi habitatores et incole, quibus id pro suis statu et indemnitatibus expedire visum fuerat, super eorum bonis, domibus, dominiis, opidis, terris, agris, prediis, possessionibus et hereditatibus annuos vnus vel plurium marcharum aut solidorum monete inibi currentis census vendentes pro singulis ex ipsis marchis seu solidis ab eis, qui illas vel illos sine huiusmodi censum emerant duodecim, tredecim, quatuordecim vel plus aut minus de huiusmodi marchis sine solidis secundum temporum qualitatem et prout ipsi vendentes et ementes in contractibus desuper habitis inter se firmaverant in pecunia numerata recipere soliti fuerant et illa ex bonis, terris, agris, domibus, prediis, possessionibus et hereditatibus predictis, que in huiusmodi contractibus expressa fuerunt, pro dictorum solutione censuum efficaciter obligantes in illorum Favorem hoc adiecto, quod ipsi pro rata qua huiusmodi per eos recepta dictis ementibus restituerent in toto vel in parte pecuniam a solutione census huiusmodi liberi forent penitus et immunes, sed quod ementes etiam si bona, domus, opida, terre, agri, predia, possessiones et hereditates huiusmodi progressu temporis ad omnimode destructionis sine desolacionis reducerentur opprobrium pecuniam ipsam etiam agendo repetere non valerent, tamen apud aliquos hesitationis verfabatur scrupulus, an contractus liciti forent censendi, Nos felicis recordacionis Martini, Pape quinti, predecessoris nostri, qui similes contractus in ciuitate et diocesi Wratiflauiensi olim initos per suas certi tenoris literas licitos fore declarauit, vestigiis inherendo dictos contractus per ipsos habitatores et incolas pro tempore initos licitos et iuri conformes et ipsorum censuum venditores ad illorum censuum solutionem amoto contradictionis obstaculo obligatos fore Apostolica autoritate declarauimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios omnia et singula premissa, dum et quando opus fuerit, solemniter publicantes ac emtoribus huiusmodi super omnibus et singulis in dictis nostris litteris contentis efficacis subuentionis auxilio assistentes, non permittatis, eosdem habitatores, incolas ac emtores et venditores pro tempore contra earundem literarum nostrarum et contentorum in eisdem tenorem quomodolibet molestari. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel diuisionim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspensi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Narnie, anno incarnationis Dominice Milleesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, Quarto Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto.

B. de Capitaneis.

Nach dem Originale des Stend. Rathesarchives No. 197.